

Enimvero dependentia alicujus facultatis à concessione alterius involvit denegationem ejusdem in iis qui concessione ista destituuntur. Quare cum istiusmodi denegatio facultatis aliis concessæ nil sit quam prohibitio; quin in medio ævo venatio per totam Germaniam omnibus qui expressam vel tacitam docere non poterant concessionem prohibita fuerit, dubio caret.

*Scholion.* Sæpius e contrario dicit D. Strube §. VIII. & X. *specialibus venationum inhibitionibus opus non fuisse, si totam Germaniam Reges foresto inclusissent, omnemque ademissent civibus venandi libertatem.* At at quis hoc dixerit, omnem civibus venandi libertatem fuisse adematam, totamque Germaniam Reges foresto inclusisse. Ante adductæ concessiones luculenter probant quibusdam venandi libertatem fuisse relictam, imo integrum populum interdum libertate ista gavisum fuisse exceptis feris sublimibus, quod inprimis docet ultimum modo (§. antec. Schol.) allatum Diploma. Id tantum, quod in propositione continetur, adstruitur, omni, qui expressa vel tacita destituebatur concessione, venationem interdictam fuisse. Opus vero fuit specialibus venationum inhibitionibus, ut eo minus quis in sylva bannita venari præsumeret, banni Regii summam compositurus, quemadmodum continetur in Charta SIGEBERTI Mindensis Episcopi à CONRADO SALICO impetrata (d), quam explicat alia HEZILONI Hildesheimensi Episcopo ab HENRICO IV. Imp. concessa: *quod si aliquis hujus præcepti nostri temerarius*

(d) Apud Pistorium in chronico Mindensi p. 736. Schilterum Ex. 45. ad ff. §. 6. & Lunig P. 2. Spicil. Eccles. c. 4. Tit. Minden. §. 8. p. 106.